

*MY.* quidnam incepturu's? *DA.* accipe a me hunc ocus  
 10 atque ante nostram ianuam adpone. *MY.* obsecro, 725  
 humine? *DA.* ex ara hinc sume verbenas tibi  
 atque eās substerne. *MY.* quā ob rem id tute non facis?  
*DA.* quia, si forte opu' sit ad erum iurandum mihi  
 non adposisse, ut liquido possim. *MY.* intellego:  
 15 nova nunc religio in te istaec incessit. cedo! 730  
*DA.* move ocus te, ut quid agam porro intellegas.  
 pro Iuppiter! *MY.* quid est? *DA.* sponsae pater inter-  
 venit.

repudio quod consilium primum intenderam.

*MY.* nesciō quid narres. *DA.* ego quoque hinc ab dextera  
 20 venire me adsimulabo: tū ūt subservias 735  
 orationi, ut quomque opu' sit, verbis vide.  
*MY.* ego quid agas nil intellego; sed siquid est  
 quod mea opera opu' sit vobis, [a]ut tu plus vides,  
 manebo, nequod vostrum remorer commodum.

*CH.* Revortor, postquam quae opu' fuere ad nuptias 740  
 gnatae paravi, ut iubeam accersi. sed quid hoc?  
 puer herclest. mulier, tun posisti hunc? *MY.* ubi illic est?  
*CH.* non mihi respondes? *MY.* nusquam est. vae mi-  
 serae mihi!  
 5 reliquit mē homo atque abiit. *DA.* di vostram fidem,  
 quid turbaest apud forum! quid illi hominum litigant! 745  
 tum annona carast. (quid dicam aliud nescio.)